LUDOVICI SABBATINI
DE ANFORA
Congregationis Piorum Operariorum
Presbyteri

Ad Eminentiſs. ac Reverendiſs. Dominum Cardinalem

D. JOSEPHUM SPINELLI
ARCHIEPISCOPUM NEAPOLITANUM

EPISTOLA

Qua vetuſtae Inſcriptionis fragmentum Neapoli nuper detectum illuſtratur.

ROMAE,

Ex Typographia Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Vicesgerens.

IMPRIMATUR.
Fr. Raymundus Palombi Magiſter Socius Rmi P. Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici.

Digitized by Google

Eminentiſs. ac Reverendiſs. Domino

D. JOSEPHO

TITULI S. PUDENTIANAE

S.R.E. PRESBYTERO CARD. SPINELLI

Archiepiſcopo Neapolitano

LUDOVICUS SABBATINI DE ANFORA

CONGREGATIONIS PIORUM OPERARIORUM

S. P. D.

INſcriptionis vetuſtae fragmentum optimis characteribus conſcriptum in Neapolitanae Eccleſiae Principe Templo, & proprie in Sacello, quod S. Aſprenati primo Antiſtiti noſtro eſt dicatum, dum proxime elapſo anno labente ejuſdem Venerabile Corpus recognoſceretur, nuper detectum eſt, ut bene noſti, Princeps optime: Hujuſmodi autem Inſcriptio ab erudito Viro ſuppleta, Florentiamque tranſmiſſa, ubi ad manus doctiſſimi Johannis Lamii pervenit, tanti ab ipſo facta eſt, ut eam Literariis Hetruſcis Ephemeridibus inſeruerit. Hanc ad Patriae ornamentum illuſtrare mihi in animo fuit: quod impraeſentiarum ago, Te per literas alloquens, Cardinalis ampliſſime. Te igitur precor, ne dedigneris hanc meam Epiſtolam legere, in qua de eadem Epigraphe breviter diſſero: Breviter, inquam, idque duplici ex cauſa: tum ne Tibi longitudine ſim taedio, qui in iſta Domini Vinea, quam Tibi Pater familias tradidit excolendam, ſummopere defatigaris, tum etiam quia in noſtra hac Sanctae Mariae ad Montes Eccleſia in Concionibus Quadrageſimalibus recitandis allaboro. En Tibi igitur nuper detecti Lapidis fragmentum a Viro docto ſuppletum, atque a me illuſtratum.

Digitized by Google

DN PLACIDVS VALENTIN	*IANVS PRAESTAN*
TISSIMVS OMNIVM RETR	*O PRINCIPVM*
SALVO ADQVE CONCORDI	*DOMINO THEO*
DOSIO INVICTISSIMO AV	*G SVB AVSPICIIS NO*
MINIS SVI NEAPOLITANA	*M CIVITATEM*
AD OMNES TERRA MARIQ	*VE INCVRSIONES*
EXPOSITAM ET NVLLA	*SECVRITATE*
GAVDENTEM INGENTI	*CVRA ADQVE*
SVMPTV MVRIS TVRRIB	*VSQVE MVNIVIT*

Litera B *partim in marmore exſtabat*, *partim ſuppleta eſt*.

Dn. Placidus Valentinianus: Sic incipit Inſcriptio: Tres hujuſce nominis Principes rerum ſumma potiti ſunt. Primus anno CCCLXIII. quum Dadaſtanis extremum diem Jovianus obiiſſet, VI. Calendas Martias Imperator eſt renunciatus, de cujus electione Socrates initio libri 4. ac Ammianus lib. 8. legendi ſunt. Hic *Senior* eſt appellatus. Huic Valentinianus junior ejus filius adhuc quadrimus ſucceſſit; quem ex Juſtina ſecunda ejus uxore genitum fuiſſe veteres tradidere. Legeſis de hoc Valentiniano Juniore Socratem lib. 4. cap. 31., & Ammianum lib. 30.; ex recentioribus vero Baronium ad an. 375. n. 6., & Pagium ad eumdem annum num. 2. & ſeq. Criticae Baronianae. Tertius tandem ſequenti ſeculo Imperator electus eſt. Hunc tertium in praeſenti Lapide memorari, in comperto eſt apud omnes. Ille etenim Valentinianus eſt, qui cum Theodoſio regnavit, & *Placidus* dictus eſt, ut in relata ſuperius Inſcriptione. Quamvis enim Valentinianus Junior cum Gratiano, & Theodoſio aliquibus regnaverit annis, ut apud Baronium, & Pagium videre eſt ad an. 379. & ſeqq.; attamen Tertius *Placidus* eſt appellatus.

Aliud obſervo, ex quo noſcitur aperte, Valentinianum hujus nominis Tertium in Lapide noſtro commemorari; quod ſi ille Valentinianus eſſet, qui cum Theodoſio Seniore Romani Imperii obtinuit Principatum, non tantum Theodoſius, ſed & Gratianus, quia Tres ſimul imperavere, in lapide memoraretur. Sic etenim in Inſcriptione apud Pontem Caeſtium in hac Urbe legitur, quam etiam Nardinus lib. 8. cap. 3. Romae vetuſtae refert; *Domini noſtri Imperatores Ceſares Fl. Valentinianus Pius*, *Felix*, *Max. Victor*, *ac Triumf. ſemper Aug. Pontif. Maximus Germanic. Max. Alamann. Max. Fran. Max. Goth. Max. Trib. Pot. VII. Imp. VI. Coſ. II. PPP. II.*, *& Fl. Valens Pius*, *Felix*, *Max. Victor*, *ac Triumf. ſemper Aug. Pontif. Max. Germanic. Max. Alamann. Max. Franc. Max. Gothic. Max. Trib. Pot. VII.*

Imp.

Imp. VI. Coſ. II. PPP. & Fl. Gratianus, Pius, Felix Max. Victor, ac Triumf. ſemper Aug. Pontif. Max. Germanic. Max. Alamann. Franc. Max. Gothic. Max. Trib. Pot. III. Imp. II. Coſ. primum P. P. P. Pontem Felicis nominis Gratiani in uſum Senatus, ac Populi Rom. conſtitui, dedicarique juſſerunt. Aliam Inſcriptionem referemus infra pag. *6.*, ubi idem legitur: ex nuper allata autem noſcitur aperte, Valentinianum, qui cum Gratiano, & Theodoſio imperavit, non *Placidum*, ſed *Flavium* fuiſſe appellatum. Hunc Valentinianum, de quo agimus, *Tertium* dixerunt Philoſtorgius lib. 12. nu. 11. aliique: & merito; nam poſt Valentinianos Seniorem Junioremque imperavit.

Tertius hic Valentinianus, extincto Tyranno Johanne, cujus interitum loco nuper adducto Philoſtorgius narrat, Caeſar eſt renunciatus. Theodoſius tertio Idus Majas legem dedit *Cod. Theodoſ. de petitionibus*, eique poſt eamdem ludos Circenſes edenti fauſtum nuntium de Johannis Tyranni morte perlatum fuit: Unde miſſo ad Valentinianum Conſobrinum ſuum Imperiali diademate, Romani Imperii hic in Occidentalibus Regionibus obtinuit principatum an. CCCCXXIV. Lege Pagium ad hunc annum num. 4. & ſeq., & ad annum 455. n. 2. & ſeq. Criticae Baronianae. Socratem interim de hac electione audiamus lib. 7. cap. 24. *Porro, interfecto Johanne Tyranno, Imperator Theodoſius ſolicitus eſſe coepit quemnam Imperatorem Occidentis partibus praeficeret. Erat ei Conſobrinus admodum adoleſceus Valentinianus nomine ex Placidia ipſius Amita prognatus.... Hunc igitur Conſobrinum ſuum Theodoſius auctum Caeſaris dignitate, in Occidentis partes direxit.... Miſſo igitur ad Conſobrinum ſuum Imperiali diademate per Helionem Patricium, ipſe Conſtantinopoli rediit.* Hunc Valentinianum *Placidum* etiam fuiſſe dictum lippis, atque tonſoribus notum eſt: qua de cauſa ad hunc Caeſarem lapidem noſtrum eſſe referendum, cenſent omnes, qui ut eruditi audiunt: ſic enim incipit; *Dn. Placidus Valentinianus. Placidum* autem Tertium Valentinianum fuiſſe dictum ignorat nemo: Lapis apud Hieronymum Fabrum in ſacris Ravennatibus monumentis pag. 226. *Stephano, Protbaſio, & Gervaſio, Beato Martyrio, & ſibi memoriae Lauritius dedicavit ſub die* XIII. *Kal. Octobr. Theodoſio XI. & Placido Valentiniano Coſſ.* Numiſma praegrande, quod a Hieronymo Manlitio S. Mariae Majoris Canonico acceptum tradit Baronius ad an. 425. num. 4., ubi Valentiniani Auguſti dexterâ volumen, ut creditur, Evangelii, ſiniſtrâ vero geminam Crucem margaritis ornatam ſuper globum tenentis effigies cernitur; hiſce verbis Principem oſtendit; *Dn. Placidus Valentinianus P. F. Aug.*

Heſterno die prope noſtram S. Balbinae dicatam Eccleſiam quidam

Digitized by Google

dam pedibus ambulans numiſma aureum fortuito reperit, ubi ex una parte Valentiniani hujus Tertii effigies cernebatur cum hac epigraphe; *Dn. Pl. Valentinianus P. F. Aug.*; ex altera vero parte armatus vir dextera manu oblongam Crucem tenens, ſiniſtra victoriae imaginem, dextero pede caput hominis ſerpentemque calcans, cum hac epigraphe, *Victoria Auggg.* Sub viri pedibus iſtae literae exſtabant *Comob*: quae vel ſic legi debent, *Conſtantinopoli moneta obſignata*, ut in alio Numiſmate ad an. 425. num. 7. legit Pagius, vel *Conſtantinopoli moneta officinae ſecundae*; vel tandem *Conſtantinopoli monetaria officinae ſecundae*: ut in libro, cui titulus *la Scienza delle Medaglie*, Inſtructione undecima inter med. & finem. Dicitur autem *Officinae ſecundae*, quia litera B. in alphabeto ſecunda in ordine eſt.

Nos non latet nobis objici poſſe, cur Conſtantinopoli moneta dicatur obſignata, quum Placidus Valentinianus regnaverit in Occidente; & quare *Auggg.* cum triplici g legatur, quod tres Caeſares innuit: Sic enim in Inſcriptione apud Nardinum lib. 6. c. 8. Romae vetuſtae *Imppp. Caeſſſ. DDD. NNN. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Pii, Felices, & ſemper Auggg. Arcum ad concludendum opus omne porticum maximarum aeterni nominis ſua pecunia propria fieri, ornarique juſſerunt*. Sed bene Conſtantinopoli dicitur obſignata moneta, quum a Theodoſio, non a Valentiniano, numiſma factum ſit in gratiam Placidi Valentiniani: Sic in alio numiſmate ejuſdem Dn. Placidi Valentiniani apud Antonium Auguſtinum dial. 1. legitur: quod etiam in alio numiſmate praegrandi ejuſdem Caeſaris apud Baronium mox laudatum cernitur. Omnibus etiam eruditis notum eſt, non primorum Caeſarum temporibus, ſed poſterioribus ſeculis ſcribere jam in uſu fuiſſe, *Imppp. Coſſſ. Auggg.* pro *Imperatoribus*, *Conſulibus*, *Auguſtis*, ut Antonius Auguſtinus dial. 9. aliique obſervavere.

Dn. Placidus Valentinianus *Praeſtantiſſimus omnium retro Principum* in noſtro lapide appellatur: quae, ut omnibus eſt notum, frequens eſt in Inſcriptionibus Caeſarum loquendi formula. Apud Grutherum tom. 1. in Caeſar. Inſcript. pag. 258. num. 6. ſic legitur; *Devictori omnium Gentium Barbararum, & ſuper omnes retro Principes providentiſſimo Imp. Caeſ. Marco Antonino Vero Invic. Aug. P. M. Tr. Pot. P. P. Coſ. II. Proc. Val. Julianus vir P. P. P. H. Tarrac. Numini, Majeſtatique ejus dicatiſſimus*. Lapis in honorem M. Aurelii poſitus ap. eumdem ib. pag. 281. num. 4. *Magno Invictiſſimo, ac ſuper omnes retro Principes Fortiſſimo Imp. Caeſ. M. Aurelio Maximiano Pio Fel. Invicto, Aug. Coſ. III.* Hiſce verbis ibidem pag. 283. num. 11. Conſtantinus commendatur; *Dn. Flavio Conſtantino, Maximo, Beatiſſimo,*

mo, *ac ſuper omnes retro Principes Piiſſimo ſemper Auguſto B. R. P.* Inſcriptionis fragmentum ibidem pag. 287. num. 7. legitur, quod ſic habet; *Pio Principi . . . . Invicto Reſtitutori Orbis Providentiſſimo Retro Principum . . . B. omnes fortiſſimo*. Alia loquendi formula uſus eſt cujuſdam Inſcriptionis Auctor in laudem Theodoſii poſitae Patris illius, qui in ea, quam exponimus, ac illuſtramus cum Dn. Placido Valentiniano commemoratur. Hujus autem Inſcriptionis fragmentum Grutherianum ib. fol. 286. nu. 5. ſic habet . . . . *jerum Principum Clementiam . . . . nctitudinem*, *munificentiam ſupergreſſo Dn. Flavio Theodoſio Pio*, *Victori ſemper Auguſto*.

Poſt laudata verba *Praeſtantiſſimus omnium retro Principum*, haec ſequuntur in lapide; *Salvo adque concordi*. Frequenter litera T in D, in Inſcriptionibus mutata legitur: Apud Antonium Auguſtinum in Dialogor. de Numiſmat. libro dial. 9. *Atlectus* pro *Adlectus*, *Quodannis* pro *Quotannis* lego. Proprie autem *Adque* pro *Atque* legimus, & non raro. Inter Inſcriptiones Grutherianas to. 1. pag. 246. num. 3. ſic obſervo; *Pio adque Invicto Dn. Trajano nobiliſſimo*, *ac Fortiſſimo*, *& Feliciſſimo Caeſari*.

Quum Valentinianus cum Domino Theodoſio regnaverit, hinc merito alter hic Caeſar commemoratur in lapide. Theodoſius Valentinianum adhuc puerulum Conſobrinum ſuum Imperatorem renunciavit. Olympiodorus anni 424. geſta enarrans, ita de Theodoſio ſcribit; *Ad Theſſalonicam cum ventum eſſet*, *Helion Officiorum Magiſter a Theodoſio miſſus*, *Valentinianum in illa ipſa Urbe Caeſaris veſte induit*, *annos natum non amplius quinque*. Frigeridus apud Gregorium Turonenſem lib. 2. num. 8. ita loquitur; *Poſt Divi Honorii exceſſum Valentinianum puerulum uno tantum luſtro peracto a Conſobrino Theodoſio Imperatorem fuiſſe creatum*. Socratem mitto, cujus verba ſupra relata ſunt. Deinde Theodoſius, & Valentinianus ſimul imperavere. Theodoſius Orienti praeerat, Occidenti vero Valentinianus. Hac de cauſa in lapide legitur; *Salvo adque concordi*. Hoc etiam comprobari poteſt ex eo, quod leges Cod. Theodoſ. ab uno ex Imperatoribus promulgatae, quando duo imperabant, utriuſque nomen praeferebant, ut ibidem videre eſt. Unde lapis noſter merito utrumque Caeſarem jungit.

Theodoſius in Inſcriptione, de qua agimus, *Invictiſſimi* titulo decoratur. Hoc eodem titulo idem Theodoſius Junior in lapide cohoneſtatur, qui apud Canuſium in Apulia Neapolitani Regni Provincia legitur, & a Reineſio in Inſcript. Claſ. 3. nu. 62. pag. 326. refertur: *Inclytae venerandaeque memoriae Viro Flavio Theodoſio Genitori Domini noſtri Invictiſſimi*, *perenniſque Principis Theodoſii perpetui Auguſti*,

cujus virtute, felicitate, juſtitia, propagatus terrarum Orbis eſt & retentus, Statuam equeſtrem ſubauratam Apuli, & Calabri pro voto, & devotione poſuerunt curante, & perficiente Flavio Sexine Viro perfectiſſimo Correctore Apuliae, & Calabriae.

Theodoſius tantum, ut legenti patet, in lapide noſtro appellatur *Auguſtus*, non autem Placidus Valentinianus, qui eo tempore jam in Occidente dominabatur; quod eſt conſiderandum. Valentinianus die XXIII. Octobris anni 425. Auguſtus creatus eſt; quum anno praecedenti, ut dicemus infra, Caeſarea purpura fuiſſet indutus. Auctor Chronici Alexandrini ſub hujus anni Coſſ. ſic ait; *His Coſſ. Valentinianus Junior a Theodoſio creatus eſt Auguſtus menſe hyperberetaeo* X. *Calendas Novembris.* Laterculus Sylvii apud Bollandum in Praefatione ad vitas Sanctorum menſis Januarii (quem integrum Bollandiſtae in addendis ad menſem Junii exhibent) pag. 43. ſic habet; X. *Kl. Nov. Natalis Valentiniani Purpurae.*

Huic noſtrae ſententiae doctiſſimus Valeſius adverſatur, qui ad Socratis verba lib. 7. c. 25. *nunciata eſt nuncupatio Auguſta Valentiniani Junioris die* X. *Kalend. Novemb.*, ait, Socrati non Auctori Chronici Alexandrini ſtandum eſſe: Si enim ea nuncupatio apud Urbem Conſtantinopolitanam X. Kalendas Novembres nuntiata fuit, ante dictum tempus dies natalis Imperii Auguſtei Valentiniani collocandus eſt. Huic difficultati ſic reſpondet Pagius, cujus ſententiam tamquam veritati conformem ſequimur, in Critica Baroniana ad annum 425. num. 5. *Verum Socrates aliud non deſignat, quam non multo poſt Attici exequias, & ingreſſum Theodoſii in Urbem Regiam, ſignificatam eſſe nuncupationem Auguſtam Valentiniani Junioris, die* X. *Kalend. Novemb. Romae factam: itaut dies ille non ad diem, quo ea in Urbe Regia nunciata, ſed quo Romae facta fuerat, referatur. Eam autem inaugurationem Romae peractam affirmant Philoſtorgius, & Olympiodorus citati, ac praeterea Proſper in Chronico Imperiali, ac Idacius in Chronico. Quare falluntur Marcellinus in Chronico, & Jornandes de Reb. ſucceſſ. cap. 97., qui ſcribunt Valentinianum Ravennae Imperatorem factum.*

Propria ratio cur in Inſcriptione, de qua agimus, Theodoſius, non Valentinianus appelletur Auguſtus, nequit inveniri; niſi dicamus, hunc lapidem, antequam Valentinianus Auguſtus nuncuparetur, fuiſſe poſitum. Valentinianus poſt diem decimam Octobris anno 424. Caeſar dictus eſt, die autem XXIII. Octobris ſequentis anni, ut diximus, Auguſtus appellatus. Dixi poſt diem Octobris decimam Caeſarem fuiſſe nuncupatum: Lex enim 33. *Cod. Theodoſ. de Annona, & Tributis Victore V. C. Conſ. data* V. *Idus Octobr.* Theodoſii dumta-

Digitized by Google

taxat nomen praefert: ideoque poſt eum diem Valentinianum, jam antea in Occidentem miſſum, Caeſarea veſte indutum fuiſſe dicendum eſt: alias utriuſque praeferret nomen. Quum autem poſt diem x. Octobris anni 424. Caeſarea veſte fuiſſet indutus, ac die XXIII. Octobris ſequentis anni Auguſtus appellatus, ut nuper probatum eſt, dici poteſt, intra hoc tempus muris turribuſque Urbem noſtram muniiſſe. Sed haec conjectura videtur eſſe, quam aliqui reſpuent fortaſſe tamquam ad arbitrium fictam: Valentinianus enim puerulus Caeſar eſt dictus, anno aetatis ſuae quinto: Idacius inſuper in Chronico tradit Valentinianum anno aetatis ſuae XXXVI. regnique XXXI. fuiſſe necatum: Quare in lucem prodiiſſe anno CCCCXIX. dicendum eſt: Anno igitur CCCCXXIV. quinquennis erat: nec prima fronte veriſimile eſt, Puerulum, tunc rerum ſumma potitum, Neapolim muris turribuſque muniiſſe. Sed multa Caeſar hic initio principatus ſui geſſit profecto, quae ipſum Puerulum Auctorem habuerunt abſque dubitatione ulla: Unde ſi eo tempore Inſcriptiones in ejus memoriam laudemque poni debuiſſent, de eo ut revera plura agente in eiſdem loqui fas erat. Sed de hac re ſententiam ferat prudens doctuſque Lector. Valentinianus anno 424. Caeſar eſt dictus, regnavitque uſque ad annum 455. quo anno VI. Calendas Apriles necatus eſt, de cujus morte legendus Proſper *in Chronico Valentiniano Aug. VIII. & Anthemio Coſſ.*: Unde intra hoc tempus lapidem, de quo loquimur, poſitum fuiſſe certo certius eſt.

Quartum Inſcriptionis verſum ita primus omnium ſupplevit doctiſſimus Jacobus Martorellus amicus meus in Neapolitano Lycaeo Regius Linguae Graecae Profeſſor, *Sub Auſpiciis nominis ſui*. *Ad gloriam Nominis ſui* ſupplevit Scipio Chriſtophorus Neapolitanus Preſbyter etiam amicus meus omni eruditionis genere perornatus: quod, ut verum fatear, mihi arridet magis. Si enim Valentinianus Neapolitanam Urbem muris turribuſque munivit, *ad gloriam Nominis ſui* id feciſſe dicendum eſt. Utrumque autem ſupplementum non aberrat a vero. Sed de hac re eruditorum judicium expoſtulo. Doctiſſimus vir Petrus Polidorus in hac principe Urbe, ac alibi editis libris ſatis notus, quum Inſcriptionem legiſſet, ſententiam Scipionis Chriſtophori vero magis conformem eſſe cenſuit; & *ad gloriam Nominis ſui* legi debere arbitratus eſt. Cl. viro omnigena eruditione eximio Johanni Lamio etiam ſic ſuppleta Inſcriptio placuit, eamdemque probavit, ac in Literariis Ephemeridibus Hetruſcis ſtatim inſeruit.

Error nobis non objiceretur, ſi ita legeremus, *ad perpetuitatem Nominis ſui*: ſic enim alia Inſcriptio habet, quae ſuper Portuenſem

Por-

Digitized by Google

Portam hic in Tranſtyberina Regione legebatur, quam nunc deperditam dolemus: *S.P.Q.R. Impp. Caeſſ. DD.NN. Invictiſſimis Principibus Arcadio, & Honorio Victoribus, ac Triumfatoribus ſemper Augg. ob inſtauratos Vrbis aeternae muros, Portas, ac Turres egeſtis immenſis ruderibus ex ſugeſtione V.C. & inluſtris Militis, & Magiſtri utriuſque militiae Fl.Stiliconis ad Perpetuitatem Nominis eorum Simulachra conſtituit, curante Fl.Macrobio Longiniano V.C.Praef.Vrbis D.N.M.Q. eorum*. Hanc Donatus de Urbe Roma lib. 1. c. 15. & Nardinus lib. 1. cap. 8. & 9. referunt.

Caeterum *ſub Auſpiciis* etiam lapidarium eſt: Unde in Inſcriptione, quae ſupra triumphalem Titi Veſpaſiani Judaeorum Domitoris Arcum priſco tempore legebatur; quam etiam refert Grutherus pag. 214. num. 6. ſic legitur: *Imp. Tito Caeſari Divi Veſpaſiani F.Veſpaſiano Auguſto Pont. Max. Trib. Pot. X. Imp. XVII. Coſ.VIII. P.P. Principi Suo S. P. Q. R. quod praeceptis Patris, conſiliiſque, & auſpiciis Gentem Judaeorum domuit, & Vrbem Hjeroſolymam omnibus ante ſe Ducibus, Regibus, Gentibuſque aut fruſtra petitam, aut omnino intentatam delevit.*

Ratio, cur in honorem Valentiniani Cives noſtri hunc lapidem poſuerint, haec eſt; nulla nempe Urbis noſtrae ſecuritas, cui optime per hos muros, turreſque proviſum eſt. Unde ne tanti facti memoriam tempus obliteraret, Inſcriptionem hanc poſuerunt. Nullam igitur noſtrae Urbis ſecuritatem ſic expreſſam, ſuppletamque in eodem lapide lego; *Ad omnes terra, marique incurſiones expoſitam, & nulla ſecuritate gaudentem.* Parthenopem noſtram affluentem deliciis, ac ob ſoli ubertatem, felicitatem ſitus, & id genus alia, cunctas Nationes allexiſſe, ut ea potirentur, ignorat nemo. Audi quomodo Veteres de ea loquuti ſunt: Lucius Florus de Samnit. Bello lib. 1. cap. 16. haec habet; *Omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga eſt. Nil mollius caelo, denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo; ideo Liberi Cereriſque certamen dicitur. nihil hoſpitalius mari.* Plinius lib. 3. c. 5. poſt init. ita loquitur; *Et qualiter Campaniae ora per ſe felixque illa, ac beata amoenitas, ut palam ſit uno in loco gaudentis opus eſſe naturae. Jam vero tota ea vitalis, ac perennis ſalubritatis Caeli temperies eſt, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam aprica nemora, tam munifica ſylvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum, & vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium, fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, & tamquam ad juvandos morta-*

Digitized by Google

tales, ipſa avida in mare procurrit. Et poſt multa ante medium Capitis; *Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis ſucco per omnes terras inclyto, atque, ut veteres dixere, ſummum Liberi Patris cum Cerere certamen.* Brevius Cicero de leg. agraria contra Rullum; *Campani ſemper ſuperbi, bonitate agrorum, magnitudine fructuum, ſalubritate aeris, & pulchritudine regionis.* Caſſiodorus tandem Romanus Senator ſic Theodorici nomine loquitur lib. 6. Variar. c.23. *Urbs ornata multitudine Civium, abundans marinis, terreniſque deliciis, ut dulciſsimam vitam te ibidem inveniſſe dijudices, ſi nullis amaritudinibus miſcearis. Praetoria tua officia replent, militum turba cuſtodit. Conſcendis gemmatum tribunal.... Propterea litora uſque ad praefinitum locum tua juſsione cuſtodis. Tuae voluntati parent peregrina commercia.*

Vetuſtis hiſce Scriptoribus recentiorem addere placet. Audi Cl. Mabillonium in Muſ. Italic. tom.1. pag. 104. num. 20. *Neapolim luſtrare coepimus, quae Civitas argute dicta eſt,* Fragmentum Caeli delapſum in terram; *eo modo, quo Livius Scriptor Graecus, cum ad Amicum ſuum ſcriberet, Romae videndae cupidum, non Urbem,* ſed quamdam Caeli partem *appellat. Neapolis ſitus praeſtantior eſt, uti omnia ad voluptatem compoſita. Si Caelum ſpectes, quid illud? cum terra ipſa ſit quaedam Caeli portio. Si ſolum, illic Campania felix omnium, non modo in Italia, ſed in toto terrarum orbe pulcherrima plaga... Ver ibi perpetuum, quod nec frigoris inclementia, nec caloris vehementia interrumpit. Diceres unam ibi eſſe anni tempeſtatem, ſcilicet ver autumnale, aut vernum autumnum; cum flores fructuſque illic fere numquam deficiant. Ob tranquilla Parthenope, ait quidam, & magnis ingeniis laudata. Veſtrum eſt quod ait*

Ver ibi perpetuum, atque alienis menſibus aeſtas.

Illic naturae, & artis miracula ſine numero congeſta: illic omnium rerum terra, marique commercium. Paucis; Neapolis longe ſuperaſſet Romam, ſi Roma Neapolis loco ſtetiſſet. A meridie ſecundum litus maris inferi in cornua flectitur: tum extenditur in continentem molliter ab imo uſque ad verticem aſſurgente clivo.

Delicias, ubertatem, amoenitatemque Urbis noſtrae mecum animo revolventi, eamdemque tot Barbarorum incurſionibus priſco tempore devaſtatam recogitanti, nullaque, etiam impraeſentiarum, ſecuritate gaudentem, flere lubet, ac verbis Vincentii de Filacaja Cl. Poetae Hetruſci de tota Italia loquentis ſic cum noſtra Neapoli alloqui;

Deh foſſi tu men bella, o almen più forte.

De-

Deliciae, quibus Neapolis affluit, ubertas, & ſitus amoenitas in cauſa fuere, ut Barbarorum ſaepius incurſiones pateretur. Anno DLXXXI. a Langobardis fuit obſeſſa: Certum hujus obſidionis monumentum clauſula, ſeu ſubſcriptio Collectaneo ſubjecta indicat, quod ex S. Auguſtini libris Eugippius Presbyter, & Abbas Lucullanenſis confecit, ubi qui illud Collectaneum exſcripſit, ſed id feciſſe teſtatur juſſu Reducis Antiſtitis noſtri, qui illud Eccleſiae Neapolitanae obtulit: *Et eo jubente ego Petrus Notarius Sanctae Eccleſiae Catholicae Neapolitanae, ut potui, emendavi ſub die Iduum Decembrium Imperatore Domino Noſtro Tiberio Coſtantinopolis Aguſti anno ſeptimo, poſt Conſulatum ejuſdem Aguſti anno ſeptimo, Indictione quintadecima, obſidentibus Langobardis Neapolitanam Civitatem*: Quod anno 582. convenire cenſet Mabillonius tom. 2. vet. analect. pag. 11. Pagius vero anno praecedenti in Critic. Baron. ad an. 581. num. 16., cujus ſententiam tamquam veriorem ſequuti ſumus in notis ad vetuſtum Neapolitanae Eccleſiae Calendarium ſub die 29. Martii in Reduce. Vide quae ibidem a nobis dicta ſunt.

Saepiſſime Saracenos noſtram Urbem obſediſſe, eamque captam, ferro, & igne vaſtaſſe Hiſtorici noſtrates referunt. De S. Athanaſio Epiſcopo noſtro haec ſcribit Chioccarellus de Epiſc. Neap. pag. 87. *Neapolitanam Eccleſiam, quam inopem reperit ob Barbarorum infeſtationes, ac Langobardorum frequentes incurſus adeo ſacris libris, Clericis, ac Miniſtris, argenteis, aureiſque vaſis, rebuſque omnibus ad divinum cultum pertinentibus, atque opibus, redditibuſque auxit, ut nulla alia eâ illuſtrior in tota Campania celebraretur.*

Dum Neapolim horribili obſidione Saraceni premebant ſub Athanaſio Antiſtite hujus nominis tertio, Sancti Tutelares noſtri Januarius Martyr, & Agrippinus Epiſcopus eidem miraculo opem tulerunt. Eumdem Chioccarellum lege fuſe haec narrantem pag. 110. ex S. Agrippini vita, ab Anonymo Auctore coaevo conſcripta, quam ex charactere Langobardico ipſemet Chioccarellus aſſervabat. Caſtrum Lucullanum prope Neapolim (quod prius praegrande erat; unde in quodam Inſtrumento ſub Frederico II. anno 1200. *Inſula Major* appellatur Capaccio teſte in Hiſt. Neap. lib. 2. cap. 3. pag. 408. in fine) hac de cauſa, ne illud Barbarorum ditioni ſubjiceretur, everſum eſt. Athanaſius Neapolitanus Antiſtes, & Gregorius Neapolitanus Conſul in quodam diplomate apud Chioccarellum de Epiſcopis Neapolitanis in Athanaſio III. pag. 108. ita loquuntur; *Illis itaque Monachis nempe Monaſterii S. Severini intus Neapolitanam Urbem, ſancte, & religioſe viventibus, & Monaſterio ipſo propter tantam fratrum concordiam ubique*

que

que diſſamato; Rex impiiſſimus Africanorum innumerabilem exercitum, armorumque copioſiſſimum habens apparatum, Taurumenum advenit, & iraſcente Deo ſub omni celeritate Urbem eamdem, non ſolum ipſam, ſed etiam alia Siciliae oppida gladio igneque conſumpſit: Deindeque tranſvadato mari, deſtructoque caſtro Rhegio, reliquas Calabritanas Urbes expugnare fortiter coepit: Hujuſcemodi ergo pavore perculſi, Gregorius Conſul, & cunctus Populus noſter, una cum Dompno Stephano Sanctiſſimo Epiſcopo Patruo noſtro, decrevimus, ut Caſtrum Luculleum, quod valde habitatoribus diminutum erat, & acceptu aptum, ut deſtrueretur, metu arrepti, ne fortaſſe, ſicut idem crudeliſsimus Rex minabatur, ſuper nos adveniens, oppidum ipſum facillime caperetur .... Deſtructo igitur Caſtro ipſo &c. Legatur etiam Johannes Diaconus oculatus teſtis in Hiſtoria Translationis S. Severini apud Bollandum to. 1. Jan. in addendis ad diem 8. pag. 998. & ſeqq. Optime igitur in lapidis fragmento ſuppleto legitur; *Neapolitanam Civitatem ad omnes terra, marique incurſiones expoſitam, & nulla ſecuritate gaudentem*: Barbarorum enim incurſionibus expoſita ſemper fuit, neque erat in aliqua parte ſecura.

Impropria prima fronte videtur loquendi formula, quae in lapide ſequitur, nec Valentiniani munificentia digna; *Ingenti cura adque ſumptu*. Sumtus enim quare ingens dicitur, ſi Valentinianum Romanum Caeſarem Auctorem habuit? Sed revera ingens fuit: Neapolitanae enim Urbis ſitum ſemper peramplum fuiſſe conſtat. Etiam decicimitertii ſeculi initio Neapolitanae Urbis muri uſque ad Caſtrum Lucullanum, quod nunc *Caſtello dell' Vovo* dicitur, extendebantur: ut ex Actis Translationis S. Julianae Virginis, & Martyris cap. 2. apud Bollandum to. 2. Febr. ad diem 16. pag. 883. col. 2. Magnitudo etiam Urbis ex magnificis coemeteriis noſcitur, quae Urbs parva habere non poterat. Fuiſſe autem coemeteria perampla, ex paucis, quae ſuperſunt, ut ita dicam, fragmentis conſtat, quae doctiſſimus Mabillonius hujus Urbis, Romae ſcilicet, coemeteria ſuperare magnificentia cenſuit: Ita enim loquitur in Muſ. Italic. in itin. Literar. annorum 1685. & ſeq. to. 1. fol. 112. *Incumbit Eccleſiae mons* (Eccleſiae S. Januarii nempe extra moenia) *in cujus cavitate antiquum eſt Urbis coemeterium omnino inſigne .... Eo profecti ſumus cum Valletta, Duce Carolo Celano venerabili Canonico Eccleſiae Metropolitanae, rerum Neapolitanarum peritiſsimo. Nam ceteris fere tunc ignotum erat Coemeterium. In immenſum producitur, & longe altiores habet, quam Romana Coemeteria fornices ob duritiem, & firmitatem rupis, ſecus quam Romae, ubi arena, ſeu tophus tantum altitudinis non patitur. Multae ſunt directae per Coeme-*

meterium viae , & quidem triplex ordo cryptarum, alius ſuper alium . In unaquaque via ſex ſunt ordines loculorum : varia ſubinde lararia diverſarum familiarum, cum variis Inſcriptionibus etiam graecis . His omnibus adde muros praegrandes fuiſſe, miroque opere confectos , ac magnitudine , altitudineque inſuperabiles , ut cenſuit Beliſarius ; qua de re infra ſermo erit ; & non ſolum muris Valentinianum Urbem noſtram , ſed turribus etiam muniiſſe ; pro quibus non leves , ſed ingentes ſumtus neceſſarii fuerunt .

En ultima tandem , Princeps Eminentiſſime , Inſcriptionis verba ; *Muris , Turribuſque munivit* . Urbs noſtra praegrandibus muris , ac munitiſſimis Turribus erat ornata . Murorum fragmenta labente ſeculo XVII. ſub Sanctorum Severini , & Soſii Coenobio , ubi Caſinenſes Aſcetae incolunt , reperta ſunt , quae miro opere facta erant : uti teſtatur Celanus in ſuo opere , cui titulus , *Notizie di Napoli* to. 1. pag. 9. quem rerum Neapolitanarum peritiſſimum , & merito , loco nuper laudato Mabillonius appellat . Murorum magnitudine invictus Carthaginienſis Dux Annibal deterritus fuit : qui ob eos Neapolim ingredi, eâque potiri deſperavit . Audi Livium lib. 23. Hiſt. c. 1. vel Decad. 3. lib. 3. c. 1. *Ipſe per agrum Campanum mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim , ut Urbem maritimam haberet . Ubi fines Neapolitanorum intravit, Numidas partim in inſidiis (& pleraeque cavae ſunt viae , ſinuſque occulti) quacumque arte potuit diſpoſuit : alios prae ſe actam praedam ex agris oſtentantes , obequitare portis juſſit , in quos , quia nec multi , & incompoſiti videbantur , cum turma equitum erupiſſet , a cadentibus conſulto tracta, in inſidias circumventa eſt . Nec evaſiſſet quiſquam , niſi mare propinquum , & haud procul litore naves piſcatoriae pleraeque conſpectae peritis nandi dediſſent effugium. Aliquot tamen eo praelio nobiles juvenes caeſi ſunt: inter quos & Hegeas praefectus equitum , intemperantius cedentes ſecutus , cecidit . Ab urbe oppugnanda Poenum abſterruere conſpecta moenia haudquaquam prompta oppugnanti* : Et cap. 9. ejuſdem libri ; *Caeterum poſtquam Neapolim a Praefecto Romano teneri accepit ; (M. Julius Silanus erat , ab ipſis Neapolitanis accitus) Neapolim quoque ſicut & Nolam non admiſſus, petit Nuceriam .*

Muros Neapolis , Turreſque refecit Caeſar , ut quidam teſtatur lapis a Celano ibidem pag. 8. relatus , qui nuper tranſacto ſeculo inter cujuſdam domus fundamenta repertus eſt : nunc autem hunc lapidem , ſicut & innumerabilia vetera monumenta , deperditum dolemus . En lapidis verba ; *Imp. Caeſar Divi F. Auguſtus Pontifex Max. Coſ. XIII. Tribunicia Poteſtate XXXII. Imp. XVI. Pater Patriae murum ,*

Digitized by Google

rum, *Turreſque refecit*. Sed hos muros, haſque Turres a Caeſare refectas, a Barbaris partim dirutas, partimque ſolo aequatas Cives noſtri deflebant. Ex nuper autem reperto lapidis fragmento diſcimus Valentinianum Inviđiſſimum Caeſarem Neapolim muris, turribuſque muniiſſe: quod antehac nobis erat ignotum. Quot enim praeclara vetera monumenta deperdita ſunt, & oblivioni tradita? Plures Porticus prope mare exſtabant Neapoli, marmoribus, ac Pictorum inſignium Imaginibus perornatae: quarum ne quidem veſtigium reperitur: immo harum rerum memoria jam fuiſſet deperdita, niſi eas lib. 1. Iconum aliquantum poſt init. deſcripſiſſet Philoſtratus. Ubi illius loci veſtigium, in quo Picturae pretioſiſſimae aſſervabantur, quem *Pinothecam* appellat Petronius Arbiter in Satyric. inter princ. & med. *vario genere tabularum mirabilem*? Sic innumerabilia alia vetera monumenta, etiam noſtris temporibus reperta, deperdita ſunt ob hominum incuriam, plura que ex eiſdem confracta. Utinam Principes noſtri incuriis hominibus, ne iiſdem admoverent manus, praeciperent, ac poenis non levibus deterrerent! Sed de hoc agere impraeſentiarum, Princeps optime, idem eſt, ac *extra aleam ludere*.

Muros, Turreſque, quibus Neapolis a Dn. Valentiniano munita fuit, inſuperabiles ſequenti ſeculo cenſuit Beliſarius, Juſtiniani Imperatoris invictiſſimus Dux; qui eam civitatem obſidens, deſperatione eandem ſuperandi motus, jam diſcedere cogitabat. Procopium lib. 1. de Bel. Goth. c. 8. audiamus; *Ingreſſi Campaniam, devenerunt ad Urbem maritimam* (*Neapolim vocant*) *munitam admodum, & magno Gotthorum praeſidio inſtructam*. Sub finem Capitis haec ſubdit; *Gotthi ſe moenia tuto ſervaturos omni aſſeveratione recipiunt. Quibus promiſſis inducti Neapolitani Beliſario mandant inde quum primum moveat* (pacifice jam in Urbem ingreſſus erat): *At ille in obſidionem incubuit. Tentato ſaepe muro, repulſus eſt, multis amiſſis Militibus, iiſque generoſiſſimis. Ad muros enim Neapolis qua mare qua derupta loca negabant aditum; & cum ob alia, cum propter acclivitatem inſuperabiles erant aggredientibus*. Cap.ſeq.idem Procopius; *At Beliſarius Neapolitanos terra, marique obſidens, aeſtuabat: nam illos nec in deditionem voluntariam conceſſuros unquam putabat, nec fore ſperabat, ut vi caperet, repugnante maxime difficultate loci*. Neapolim tandem victor ingreſſus fuit Beliſarius, non ſuperatis muris; per aqueductum enim Milites penetravere: ubi adeo ingens ab eis caedes facta eſt, ſicut deinde Procopius narrat, ut ipſemet Beliſarius eos ad clementiam hortari fuerit coactus.

Totilas tandem, eodem Procopio teſte, noſtram Urbem obſedit,

Digitized by Google

dit, promiſitque, ſi ſuae ditioni voluntàrie Cives ſubjicerentur, nihil mali Urbi, muriſque ſe illaturum: quod autem ſpopondit Barbarus hic Rex, haudquaquam ſervavit: Eumdem Procopium audiamus lib. 3. de Bel. Goth. c.7. ſub finem; *Tum Totilas, ut ſpem ipſis omnibus* (obſeſſis nempe) *eriperet, tres menſes implendae conventioni praeſtituit, confirmavitque, ſe ante ſpatii illius exitum nullam in muros facturum impreſſionem, nihilque machinaturum. Ita quidem convenit. Verum obſeſſi ſumma victus inopia coacti dictam diem non expectare, paulo poſt in Urbem Totilam, ac Barbaros acceperunt.* Hoc hyemis tempore actum fuiſſe idem Auctor ſubdit, octavo labente Gothici Belli anno.

Neapoli quum crudelis ille Princeps fuiſſet potitus, audi, doctiſſime Cardinalis, quo modo promiſſa ſervaverit: *Ipſe quoque diſceſſit poſtquam Neapolis muros ſolo aequavit: ne Romani recepta Urbe negotium Gotthis faceſſerent, ex tuto impetum facientes. Siquidem aperto marte cum illis in Campo decernere malebat, quam technis, fallaciiſque certare. Maximam murorum partem demolitus, quod ſupererat intactum deliquit*, ut cap. 8. lib. 3. de eodem Bello Gothico Procopius narrat.

Hìc dicendi finem facio, Princeps optime: vale, & diu vale: omni interim, quo mihi par eſt, obſequio tuam Purpuram exoſculor. Dabam Romae ex noſtris Aedibus S.Mariae ad Montes IV.Fer.poſt ſecundam Quadrageſimae Dominicam Calendis Martiis, anno Aerae Chriſtianae MDCCXLVII.

FINIS.

99 934564

Digitized by Google